



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

Meditatio prima de Passione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

ctio sensualitatis amorisque proprii & mundani, quam experimur. Et hinc fit, quòd sicut ad benè concludendum nos disponit S. Pater noster per Exer- citium Christi Domini nostri, qui cum Cruce suâ nos semper præcedit, vt illum sequi, & ei similes esse desideremus; sic ad nos in proposito nostro confirmandos, & ad vires animosque necessarios ad eius executionem sub- ministrandos, valdè fusè nobis propo- nit in tertiâ Septimanâ Meditationem de Passione Domini nostri. Et tan- dem, finis tertiæ Septimanæ est Exer- citium solidarum virtutum, quæ non sine contradictione aut aduersitate, ignominiâ, dolore, omniumque re- rum temporalium defectu exercentur: quarum omnium præclarissima nobis exempla Passio Saluatoris nostri suppe- ditat.

MEDITATIO *de Passione Christi.*

Finis huius Meditationis est, osten- dere (quod sine summâ admiratio-
ne

ne cogitari non potest) quòd breui illo tempore, quo series Passionis Saluatoris nostri durauit, tantos dolores in omni pœnarum genere, omnibusque eam Passionem aggrauantibus circumstantiis passus sit; vt fieri posse non videatur, quòd vlla pœnarum genera in hominem quempiam incurrere possint, quin eas CHRISTVS Dominus noster longè acerbiores sustinuerit.

Tota hæc consideratio ad quatuor Capita reduci potest; primum ad paupertatem omniumque rerum necessariorum indigentiam; secundum, quòd ab omnibus, maximè ab amicis, fuerit derelictus; tertium, ad contumelias & opprobria; quartum, ad corporis dolores.

Quoad PRIMVM. Eò paupertatis redigi voluit, vt vniuersaliter eum defecerint omnia necessaria; ita vt nec lectulum in quo mori, nec linteum minimum quo se teget, habuerit, nisi ad honestatem ei in eleëmofynam datum fuisset: nec in siti & mortis agone
aliud,

aliud, quo se aliquantulum reficeret, solatium habuerit, quàm fel & acetum ab hostibus ei oblatum. Cùm autem dicat sanctus Paulus, quòd summa paupertas sit, habere quo quis se operiat, quodque comedat, iisque contentum esse; Saluator noster, qui cùm diues esset, pro nobis pauper factus, ulterius progressus est; quia nec quo se tegeret, nec quo sitim restingueret, habuit: & hæc est viuorum paupertas; mortuorum verò longiùs procedit, estque valdè similis illorum qui nascuntur, vt Apostolus 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium quòd nec auferre quid possumus.* Et nihilominus mortui ius habent ad sepulturam, & linteum cui inuoluantur, & vt eorum in bonorum dispositione voluntas executioni mandetur: verùm Saluator noster in alieno sepulchro positus est, linteo eleëmofynæ nomine dato inuolutus: & de vilioribus, quibus dum viueret vti solebat, in morte disponere non potuit; sed iis
 exutus,

exutus, inter milites eas diuidi, & fortem super iis ferri conspexit.

Quoad SECUNDVM. Desertum fuisse ab hominibus, adeò graue fuit, vt de illo dici possit illud Psalm. 141. *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me.* & alibi, Psalm. 87. *Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.* Eoq; grauior ei casus ille accidit, quò ex altiore ille fuit loco; vt etiam potuerit dicere: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Cum enim velut sanctus summo semper in honore fuisset, eumq; vt Prophetam habuissent, & tamquam Magistrum & Doctorem eum audiuisent, summoq; & frequenti populi concursu secuti eum fuissent in templo, Synagogis, ciuitatibus, in deserto, terrâ mariq; & propter tam varia eaq; illustria miracula, in summo honore positus; & propter summa in omnes beneficia, omnibus mirabiliter gratus; subitò hæc omnia mutata fuere in summam

mam

mam ingratitude, in contemptum, in infamiam & odium. sicut in lege scriptum erat : *Quia odio habuerunt me gratis.* Ioan. 15.

Primò , Ciues eius mortem cum summâ iniustitiâ procurarunt ; Gentiles Romani eam summâ cum crudelitate illi inflixerunt. Sacerdotes & Leuitæ erant quasi fermentum , quo populi totius massa non parum contra Saluatorem commota fuit . Principes ignem excitabant , vnde in populo talis orta est flamma , vt tantâ ignominia & doloribus extingui non potuerit. Prætereà illum Cruci affixum vidisse, contenti non fuerunt; sed, velut rabidi canes, eius carnes mordebant & lacerabant, quem cum tantâ iniuriâ & opprobrio mori videbant.

Secundò , Tantum Iudæorum & Gentilium , maiorum minorumque odium in se expertus , exiguam etiam in suis quos elegerat , qui que eum secuti fuerant , constantiam fidemque inuenit. Inter duodecim enim Apostolos,

stolos, quos præ ceteris elegerat, vnus eum vendidit, eorumq; qui eum comprehenderunt ducem se præbuit: alius, quem omnium Apostolorum Principem fecerat, in suâ eum præsentia ter negavit, detestando & deierando quòd eum non nouisset: reliqui verò fugâ sibi consulentes, eum turpiter deseruerunt, in hostium suorum manibus & potestate eo relicto. O admirabilem rerum humanarum inconstantiam! ô nouum atque inauditum inuictæ, quam Christianus imitari debet, fortitudinis exemplum! Quid tum, quæso, benedicto Saluatori erat animi, quando se ita ab amicis desertum & hostibus circumdatum animaduertit? de eo verè scriptum Psalm. 21. *Factum est cor meum tamquam cera liquecens in medio ventris mei.*

Tertiò, Sola eius benedicta Mater numquã eum deseruit, sed in omni suâ infamiâ & opprobriis eum secuta est; cùm tamen eum defendere aut iuuare non posset, quinimò suâ Filio dolores præ-

præ-

præsentiâ augebat . Et æternus Pater noluit eum , cùm tamen posset , hostibus eripere , permittendo eum feritati ac crudelitati inimicorum : quod benedictus Saluator tenerrimè sensit , & hostes ei id in faciem exprobrabant , dicentes : *Confidit in Deo , liberet eum Deus ; saluet eum Deus , quandoquidem eum solum quærat . Cumque Deus eo tempore nullum liberationis signum daret , nec causam eius defendendam suscipere videretur , amicè de eo Saluator querebatur : Deus meus , Deus meus , vt quid dereliquisti me ?*

Reliquum istius Meditationis , & fructum qui inde colligendus est , videre licebit in Meditatione diei Septimi .

SEPTI-